

TENTAMEN PUBLICUM
E P RÆLECTIONIBUS
METAPHYSICIS

ADMOD. REVERENDI, AC CLARISSIMI DOMINI
FRANCISCI H ANDERLA
Archи-Dioceſis Strigonienſis Presbyteri

Nec non

**AA. LL. & Philosophiae Doctoris, ejusdemque
Profess. Publici.**

Q U O D C O R A M

SPECTABILI, AC CLARISSIMO DOMINO

MICHAEL SHORETICS

**AA. LL. Phil. ac Medicin. Doctore, Patholog.
& Praxeos Professore Publ. Ordinario,**

N E C N O N

INCLYTÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ

D I R E C T O R E ,

ADM. REVER. CLARISSIMO, AC SPECTABILI DOMINO

JOANNE BAPT. HORVÁTH,

AA. LL. & Philos. Doct. Physicæ Profess. Publico,

E T

INCLYTÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ

D E C A N O ,

Ac tota Inclita Facultate Philosophica subibit

REVERENDUS, NOBILIS, AC PERDOCTUS DOMINUS

JOSEPHUS STEKKER, Sem. Gen. Cler. Reg. Hung. Alumn;
Archi-Dioceſis Strigon. Philos. in primum annum Auditor.

Mense Augusto, Die Anno M. DCC. LXXIV.

Typis Tyrnaviensibus, Anno ut supra.



ALMA MATER STUDIORUM LIBRARIA
HUNGARICAE ET UNIVERSITATIS

ACADEMICO CORVALLI

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF BUDAPEST

AND THE HUNGARIAN LEARNED SOCIETY

FOR THE PROMOTION OF SCIENCE AND LETTERS

IN BUDAPEST

FOR THE USE OF THE STUDENTS

OF THE UNIVERSITY

AND THE HUNGARIAN LEARNED SOCIETY

FOR THE PROMOTION OF SCIENCE AND LETTERS

IN BUDAPEST

FOR THE USE OF THE STUDENTS

OF THE UNIVERSITY

AND THE HUNGARIAN LEARNED SOCIETY

FOR THE PROMOTION OF SCIENCE AND LETTERS

IN BUDAPEST

FOR THE USE OF THE STUDENTS

OF THE UNIVERSITY

AND THE HUNGARIAN LEARNED SOCIETY

FOR THE PROMOTION OF SCIENCE AND LETTERS

IN BUDAPEST



Q U E S T I O N E S.

E X O N T O L O G I A.

Quid Metaphysica? quibus partibus constat? quid principia? qui characteres primi principii humanæ cognitionis? quid ratio sufficiens? quid interna & externa possibilitas? quid ens, & non ens? quid entis essentia, attributa, modi, & existentia? quo sensu necessaria, immutabilis, & æterna entis cuiuslibet essentia? quid & quotuplex tam identitas, quam distinctio, quæve signa realis distinctionis? quid ens simplex, & compositum, & qualis utriusque ortus, & interitus? quid substantia, & accidens? quid subsistentia, suppositum, & Persona? quid ens finitum, infinitum, necessarium & contingens, mutabile, & immutabile? quid principium & causa? quid efficiens, finalis, materialis, formalis caussa? quid agentis potentia proxima, & remota? num nihil possit esse caussa efficientis sui ipsius? num duo entia possint sibi mutuo esse causæ efficientes?

E X C O S M O L O G I A.

Quid mundi nomine designatur? num sit nexus in mundo ratione tum temporis, tum spatii? num mundi essentia sita sit in entibus successivis & simultaneis, inque modo illo, quo hæc inter se sociantur? Quid corpus? quid soliditas? & num omne corpus solidum, uti & extensem, dividuum, ac mobile sit? quid elementa corporum? quid corpus continuum? quæ contigua? quid replicatio, & compenetratio corporum? quæ vocabuli, *Natura*, acceptio? quid ordo, & cursus naturæ? quid effectus naturalis, & supernaturalis? quotuplex classis miraculorum? qui præcipui characteres veri miraculi?

E X P S Y C H O L O G I A.

Quid anima, & an detur in homine? quid cognoscendi, & facultas sentiendi? quid sensorium commune? quæ præcipuae sensationum leges? quid facultas imaginandi, imaginatio-

numque leges? quid intellectus, & memoria? quibus hæc modis
excoli potest? quid bonum, & malum? quid facultas appetendi?
quid voluptas, tedium, pugna appetitus sensitivi, & rationalis?
cuivisne appetitioni voluptas, aversationi tedium est conjun-
ctum? num perceptio boni cum adjuncta voluptate, appetitio-
nis; perceptio mali cum adjuncto tedio, sit ratio sufficiens aver-
sationis? nihilne appetimus nisi sub ratione boni, & nihil aver-
samur nisi sub ratione mali? quid voluntas? quod motivum vo-
litionis & nolitionis? quid libertas a coactione, & a necessitate?
quid contradictionis, & contrarietatis? quid extrema libertatis?
quid materia & spiritus? quid immortalitas & quotuplex? quæ
Philosophorum opiniones de origine animæ, quidve de ea sen-
tiendum?

EX THEOLOGIA NATURALI.

Quid nomine Dei venit? quid attributa Dei tam positiva,
quam negativa? estne Deus æternus, infinitus, & immu-
tabilis, simplex, & incorporeus, denique & immensus? sentit
ne Deus, aut quæpiam imaginatur, recordatur, vel raciocina-
tur? habetne rerum omnium scientiam infallibilem? quid Pro-
videntia? & num tam bona, quam mala ad Divinam Providen-
tiam referenda? quid Religio in genere? quid naturalis, & re-
velata Religio?

EX UNIVERSA METAPHYSICA. POSITIONES.

I. **P**rincipium rationis sufficientis, seu effatum istud: *Nihil
est sine ratione sufficiente, est verum. A)*

a) Plato in Timæo: *Omne quod sit, a ratione aliqua fiat necesse est: pror-
fus enim impossibile est ut aliquid sine ratione fiat.* Cl. Anton. Ge-
nuensis Met. c. i. prop. 3. Schol. *Consentientes in eo habemus ve-
teres omnes, atque recentiores Philosophos.*

II. **M**ateria, ex qua Mundus corporeus coaluit, non emanavit
ex ipso Deo permódum tenuissimorum staminum e
sinu aranei prodeuntium, sed a Deo est condita. *b)*

b) Orpheus apud Clem. Alex. l. 5. Strom. *Unicus est per se existens, qui
cuncta creavit.* Sophocles apud Euseb. præp. Evang. p. 348. *Unus
profecto est, unus est tantum Deus, qui cælum, & amplum con-
didit terra globum.*

III. Ele-

- III. Elementa corporum sunt simplicia , ideoque inextensa : c)
 ex his nullum alteri esse simile non est credibile. cc)
 c) Plotinus Ennead. 4. l. 7. c. 6. In omni , enim , magnitudine , sive exten-
 sione , hoc quidem unum est , illud alterum .
 cc) Cicero ad Lucullum : Namque vel Stoicum est , nec admodum credibile
 nullum esse pilum omnibus rebus talem , qualis sit pilus alius .

IV. Mundus iste ad manifestandas Perfectiones Divinas est
 conditus. d)

- d) Lactant. l. 7. Inst. Div. c. 5. Quod planius argumentum proferri potest
 Et mundum hominis , Et hominem sua causa Deum fecisse , quam
 quod... Oculi ejus ad celum directi , facies ad Deum spectans ,
 vulnus cum suo Parente communis sit , ut videatur hominem Deus
 quasi porrecta manu elevans ex humo ad sui contemplationem ex-
 cirasse .

V. Hic omnium possibilium perfectissimus non est , in suo au-
 tem genere perfectus dici debet. e)

- e) Epictetus Enchir. c. 34. Quemadmodum , enim , aberrandi causa meta
 nou ponitur , sic nec mali natura in mundo existit. S. Aug. l. 1. de
 Gen. cont. Manich. Fatoe me nescire mures Et rauae quare crea-
 tæ sint... Video tamen omnia in genere suo pulchra esse .

VI. Miraculum proprius sumptum est effectus insolitus , f) cuius
 ratio sufficiens extra naturam universam continetur ,
 effectus talis possibilis est. ff)

- f) S. Thomas in 2. D. 18. q. 1. art. 3. Insolitum , quod in definitione mira-
 culi ponitur , non dicit raritatem facti , sed excludit solitum cur-
 sum naturæ .

- ff) S. Thomas 1. part. q. 105. art. 6. Si consideretur rerum ordo prout de-
 pendet a qualibet causarum secundarum , sic Deus potest facere
 præter ordinem rerum , quia ordini causarum secundarum ipse sub-
 jactus non est , sed talis ordo ei subjicitur quasi ab eo procedens
 non per necessitatem naturæ (ut errat Spinoza) sed per arbitrium
 voluntatis , potuisse enim Et alium ordinem rerum instituere .

VII. Caussa Principalis miraculorum est solus Deus , his velut vi-
 væ Dei voci auscultandum est: g) doctrina igitur , in
 cuius confirmationem patrantur , ut vera tenenda est.

- g) Magi Egyptii Ex. c. 8. Digitus Dei est bic. S. August. tr. 24. in Joan.
 Interrogemus miracula , quid nobis lequantur , habeant enim , si
 intelligantur , linguam suam .

VIII. Anima humana est incorporea , & materiæ expers sub-
 stantia , h) quare simplex quoque , & individua: i) quod
 vel ex rebus dissimiliinis perceptis , quarum EGO
 JUDEX sum , patet. l)

- ii) Cicero l. 1. qq. Tusc. c. 27. Nihil est in animis mixtum . atque concre-
 sum , aut quod ex terra natum , atque factum esse videatur , nihil

aut humidum quidem, aut flabile, aut igneum ... singularis est
quædam natura sejuncta ab his usitatis, notisque naturis, ita
quidquid est illud, quod sentit, vult; cœlestis, & Divinum est.

1) Aristoteles l. 12. Met. t. 55. Omne non habens materiam indivisibile est,
quemadmodum humanus intellectus.

1) Cicero l. 1. qq. Tusc. Quid quod eadem mente res dissimillimas compre-
hendimus, ut colorem, saporem, calorem, odorem, sonum: quæ
nunquam quinque nuncius animus cognosceret, nisi ad eum omnia
referrentur, & is omnium Iudex solus esset.

IX. Hinc a nullo ente creato potest ea destrui: neque per vim
creatam impediri ab actionibus vitalibus, M) quarum dis-
sipato etiam corpore natura sua capax est. MM)

M) Cicero l. 1. qq. Tusc. c. 20. corporea objecta tum multo puriora, &
dilucidiora cernentur, cum quo natura fert, liber animus pervene-
rit; nam nunc quidem, quamquam foramina illa, quæ patent ad
animum a corpore, callidissimo artificio natura fabricata est, ra-
men terrenis, concretisque corporibus sunt intersepra quodammodo,
cum autem nihil erit præter animum, nulla res objecta im-
pediet, quominus percipiat, quale quidque sit.

MM) Plato in Phædone: Ratiocinatur tunc optime animus, quando... quam
maxime seipsum in se recipiens deserit corpus neque quidquam quo-
ad fieri potest, cum illo communicans, neque attingens, ipsum quod
vere est, affectat. Item ibidem: Dum vivimus proxime ad scien-
tiam accedemus, si quam minimum cum corpore commercium ha-
buerimus, nec quidquam cum illo communicaverimus.

X. Inest præterea nobis cum ipsa natura desiderium beatitudinis:
N) quæ nisi sit perpetua, neque vera, neque explendo
desiderio est idonea: NN) Tulit ergo Deus legem naturæ
de perpetua ejusdem conservatione.

N) S. Aug. Serm. 1. in Psal. 118. Beatum esse tam magnum est bonum, ut
hoc & boni velint & mali.

NN) Cicero de fin. l. 2. c. 27. Si amittitur vita beata potest, beata esse non po-
test... neque enim in aliqua parte sed in perpetuitate temporis vita
beata duci solet... qui enim existimabit posse se miserum esse, beatus
non est.

XI. Quare animam humanam natura sua esse immortalem tene-
mus; cui communis hominum consensus subscriptit. O)

O) Seneca Ep. 118. Cum de animalium immortalitate differimus, non leve
apud nos habet pondus consensus hominum aut timor mortis æthera, aut
colestium. Cicero l. 1. qq. Tusc. c. 16. Permanere animos arbitramur
consensu nationum omnium. Macrobius in Som. Scip. l. 1. c. 14. Obi-
nir non minus de incorporalitate, quam de immortalitate animæ
sententia.

XII. Qui libertatem a necessitate Homini denegat, vocem ille
conscientie propriæ non audiat. P)

v) Juvenal. Satyr. 13. *Exemplo quodcumque malo committitur, ipsi displices auctori, prima est haec ultio, quod se judice nemo nocens absolvitur, improba quamvis grata fallacis Prætoris vicerit urna.*

XIII. Imo poenas a Regnantiibus statutas injustitiae accuset, omnemque vitam humanam subvertat, est necesse. Q)

Q) Aulus Gellius Noct. att. l. 6. c. 12. *Sine libertate pœnae forent injustæ. Cicero apud S. Aug. de Civ. Dei c. 9. Si nullum est arbitrium voluntatis... Omnis humana vita subveritur, frustra leges dantur, frustra objurgationes, laudes, vituperationes, exhortationes adhibentur.*

XIV. Homines itaque facimus liberos, ne faciamus & sacrilegos libertatem stare cum Divina prævisione actuum nostrorum sentimus. R)

R) Boetius l. 5. de conf. Phil. *Sicut scientia præsentium, nihil his, que sunt, ita præscientia futurorum, nihil his, qua ventura sunt, necessitate importat. Nam ut Origenes l. 7. in Ep. ad Rom. c. 8. Non propterea erit aliquid, quia id scit Deus futurum, sed quia futurum est, scitur a Deo antequam fiat, & hujus ratio reddita a S. Aug. l. de Gen. ad litt. c. 32. Cognitio, enim, fieri non potest, nisi cognoscenda præcedant, præcedit cognitionem, quidquid cognosci potest, nisi enim prius sit quod cognoscatur, cognosci non potest.*

XV. Nihilominus externa quapiam ratione sufficiente, ad salvandum in liberis volitionibus principium rationis sufficientis, voluntatem constringi posse negamus. s)

s) Cicero de fato c. 11. *Velle aliquid quempiam aut nolle, ita dicimus sine causa, ut dicamus sine externa & antecedente causa, non sine aliqua.*

XVI. Fac enim momenta unum vel alterum eligendi esse aliquando æqualia (quo quidem perfecto æquilibrio, T) opus non est) adhuc ratio sufficiens cur alterum præferatur alteri, in ipsa vi libertatis continebitur. TT)

t) S. Aug. l. 3. op. imp. n. 117. *De similibus Libra, inquit, tua, quam conarisi ex utraque parte per æqualia momenta suspendere, ut voluntas.. sit libera, urgendo in unam partem te indicat deliraurem.*

tr) Cicero de fato c. 11. *Motus voluntarius eam naturam in seipso continet, ut sit in nostra potestate, nobisque pareat, nec id sine causa: ejus enim rei causa, ipsa natura est. Juvenal. Satyr. 6. Hec volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas.*

XVII. Animæ Brutorum ratione destitutæ, facultate autem cognoscendi præditæ. u) sunt incorporeæ, sensu itaque latiore recte *Spiritus* dicuntur. uu)

v) Cicero l. 2. de nat. Deor. c. 47. ubi appetitus, ibi cognitio: *Dedit autem eadem natura bellus & sensum & appetitum.*

uu) S. Aug. l. 12. sup. Gen. n 16. *Quidquid corpus non est, & tamen aliquid est, recte jam Spiritus dicuntur.*

XVIII. Philosophus ex entibus contingentibus, v.g. ex anima sua evidenter demonstrat Dei existentiam, x) quam etiam ex communi hominum consensu ostendere potest. xx)

x) S. Thom. I. con. Gent. c. 15. *Videmus in mundo quædam, quæ sunt possibilia esse, & non esse. . . Omne autem quod est possibile esse causam habet, quia cum de se æqualiter se habeat ad duo scilicet esse, & non esse; opportet si ei approprietur esse, quod hoc sit ex aliqua causa. ergo oporret aliquid ponere, quod sit necesse esse... & hoc est Deus, cum sit prima causa.*

xx) Simplicius in c. 28. Epicteti: *Omnis homines tam barbari, quam Graeci... Deum esse censent. Plotinus I. 5. Ennead. c. 1. Omnes naturali quodam instinctu clamant in unoquaque nostrum Deum esse. Hinc Seneca Ep. ad. Nepot. Meniuntur, qui dicunt se non sentire Deum.*

XIX. Quin & ordinata hujus Mundi Machina Excellentissimam Mentem existere testatur, quæ a fortuito atomorum concursu effici non potuit. y)

y) Laert. I. de ira Dei c. 10. *Putemus artus & offa.. de atomis posse crescere; quid sensus, cogitatio, memoria, mens, ingenium quibus minimis coagumentari possunt? profecto ut non indocte adverris Cicero I. 2. de Nat. Deor. si mundum efficere potest concursus atomorum, cur porticum, cur templum, cur domum, cur urbem non potest? quæ sunt minus operosa, & multo quidem faciliora.*

XX. Ad hæc: Providentia sua Deus regit Homines, 2) Mundumque universum administrat ita: ut nihil sit, quod ab eo negligatur; nihil, quod ejus Providentie non subjiciatur. zz)

z) Cicero I. 1. de Nat. Deor. c. 2. *Si Dii neque possunt nos juvare, neque volunt, neque omnino curant, nec quid agamus animadverzunt, . . . quid est, quod ullos dñis immortalibus cultus, honores, preces adhibeamus?*

zz) Epictetus Ench. c. 38. *Religionis erga Deos immortales præcipuum illud esse scito, rectas de eis habere opiniones, ut sentias & esse eos, & bene, justeque administrare universa: parendum esse eis, & omnibus iis, quæ fiant, acquiescendum: & sequenda ultero; ut quæ a mente præstantissima regantur: sic enim nec incusabis eos unquam, nec ab eis neglegi te conquereris. Nemesius. I. de Nat. hom. c. 47. Necesse est tundem & Procreatorem esse rerum omnium, & iis providentem; non enim consentaneum est, nec decet aliud efficere, aliud eorum, quæ effecta sunt, curam gerere; ejusmodi enim prorsus aliquid imbecillissimis habet.*

F I N I S.

